

Ex his colligitur quomodo differat præscriptio ab ufucapione, quæ est cauta acquisitionis domini per continuationem temporis lege definita, ut habetur lib. 3. Tit. de Usucapionibus. Si enim primo, vel secundo modo sumatur, res est clara: quia præscriptio his modis est opposita contra actorem.

Sic tamen modo, si est magis commune quam ufucapio, omnis enim ufucapio est præscriptio, non contra. Nam præscriptio, quæ extinguitur actio personalis vel realis alterius, non est proprie ufucapio, tamen est præscriptio. Generaliter tamen potest dici ufucapio, quatenus jus, & libertas ab aliqua obligatione potest dici ufucapiri; & sic æquè latè patet præscriptio, & ufucapio.

Advertendum tamen, Juris interpretes passim distinguere Præscriptionem ab Usucapione; quod ufucapio fit mobilium, Præscriptio verò immobilium. Verum hæc differentia non est iudicata in iure. Nam ufucapio etiam est immobilium, id est, ut patet Instit. de Usucapionibus, in principio; ubi non semel ad res immobiles refertur, & L. unica. C. de ufucapione transformatâ.

Similiter præscriptio in rebus mobilibus locum habet: nam quando eas ufucapimus, utitur præscriptione, seu exceptione B ne erga priorem dominum.

REQUISITA AD PRÆSCRIPTIONEM.

Ad præscriptionem requiruntur ordinariè quatuor, ex communi DD. sententiâ; ut testatur Syl. verbis Præscriptio num. 1. Possessio, titulus probabiliter præsumptus, bona fides, & continuatio possessionis cum bona fide per tempus lege præscriptum.

Primo, requiritur possessio; quia ut habet regula juris in 6. sine possessione præscriptio non procedit, oritur enim hoc totum ius ex possessione. Debet autem hæc possessio esse quæ quis nomine suo possidet, non autem alieno: quia hic verè non est possessor, sed alter, qui per illum possidet. Cum autem possessio alia sit civilis tantum, alia naturalis tantum, alia civilis, & naturalis simul, hæc ultima est aptissima generalis præscriptio, naturalis tantum non sufficit. Civilis tantum, quæ solo animo rei nostræ etiam absentes infirmus, sufficit; ut probat Covar. reg. Possessor. p. 1. §. unico, C. n. 7. Hæc enim etiam idè civilis dicitur, quod hunc civilem effectum pariat.

Ob defectum hujus conditionis non possunt præscribi, primò loca sacra, & jus decimarum à laico; nam non est capax possessionis civilis talium; cum Jure resistat.

Secundo, Religiosus professus, non potest quicquam præscribere, seu ufucapere; quia nihil potest nomine suo possidere.

Tertiò, Fructuarius, colonus, emphyteuta, feudatarius, condudtor, commodatarius, pignoratior, non possunt rei proprietatem præscribere, seu ufucapere: tum quia hæc non possident nisi naturaliter, cum dominus directus eam possideat civiliter; tum quia non possident eam nomine suo, ne naturaliter quidem, sed nomine directi domini. Unde si post centum annos probare posses initiationem possessionis, nimirum rem illam nomine tuo possessam fuisse ab initio, nulla præscriptio tibi obstat, ita expressè Glossa in cap. Clerici 11. v. in jus proprium 16. q. 4. Joan. Andreas ibidem Sylvest. Præscript. 2. num. 20. & alii. Quod probatur de cap. Clerici, ubi dicitur: Quæ precario possidentur, in jus proprium præscriptione temporis non potest revocari. Idem confirmat cap. Si Episcopus 12. ibid. Et quamvis loquantur solum de rebus Ecclesiæ, eadem tamen sunt intelligenda de rebus aliorum, cum eadem in omnibus fit ratio, ut Glossa exponit.

Secundo requiritur Titulus probabiliter præsumptus, id est, qui bona fide putetur validus ut donationis, testamenti, vel successione ab intestato, emptionis, permutationis, &c. Non est autem necessarium, ut ille Titulus sit verus, id est, validus: nam hic sufficit sine præscriptione ad transferendum dominium, secuta traditione: sed satis est, ut probabiliter putetur verus, quamvis revera invalidus sit, ut quia venditor non habuit potestatem vendendi: tunc enim ejus facit, ut res aliena, exacto tempore defuncto, fiat tua.

Debet autem hæc opinio, quæ putas titulum validum, provenire, non ex ignorantia Juris, præsertim manifesti, & indubitati, ut si putares innocentem posse vendere rem immobilem sine decreto Judicis, aut parentem validè donare filio; sed ex ignorantia facti: ut si putares decretum Judicis intervenisse, & non intervenit: si id, quod parens dedit, putares fuisse dona-

tum per cessionem usufructus, quem in bonis ejus habebat.

Tertiò requiritur bona fides, ut patet ex Regula Juris in 6. Possessor mala fidei non præscribit, (in quam regulam Covar. doctissimus Commentarius scripsit.) Idem habetur in cap. final. de præscriptioibus, quod sumptum est ex Concilio Magno Lateranensi, ubi dicitur: Quoniam omne, quod non est ex fide, peccatum est, synodali iudicio definitum, ut nulla valeat absque bona fide præscriptio, tam Canonica, quam civilis; cum generaliter sit omni constitutioni, & consuetudini derogandum, quæ absque mortali peccato non potest observari. Unde oportet, ut qui præscribit, in nulla temporis parte habeat rei alienæ conscientiam.

Ex quibus verbis etiam colligitur, bonam fidem in proposito esse credulitatem, quæ quis sibi prudenter persuadet rem esse suam, vel saltem necesse esse alienam. Prudenter, inquam, quia si ex ignorantia crassa, vel inordinata cupiditate illa persuasio procedat, non erit bona fides.

Quartò, requiritur certi temporis continuata possessio: quod tempus varium est pro varietate rerum præscribendarum.

TEMPUS PRÆSCRIPTIONI A JURE PRÆFIXUM.

QUOAD BONA IMMOBILIA.

Ad præscribenda bona immobilia privatorum cum titulo requiritur spatium 10. annorum inter præsentem, & 20. inter absentes: sine titulo requiruntur anni 30. Est communis sententia DD. in cap. Sacerdotum de præscript. & alibi.

Prior pars habetur Instit. de usucap. §. 1. & L. Cum in longi. ult. C. de præscript. longi temporis, ubi tria notanda sunt. Primum est, longum tempus in materia usucapionis vocari spatium 10. annorum inter præsentem, & 20. inter absentes. Longitudinem spatium 30. vel 40. annorum. Patet ex L. cum in longi.

Secundum, Præsentem dici, qui in eodem territorio habitant; ut sunt omnes, qui in territorio Antuerpiensi, etiam si non in civitate: absentes, qui in diverso territorio. Panor. in c. de quarta, de præscriptione n. 30.

Tertium si præsentis fuerit 7. annis, & postea egrediaris territorium habiturum alibi, opus est adhuc sex annis, ut res immobilis contra te præscribatur. Ratio est; quia supererant tres anni ad complendam præscriptionem contra præsentem, qui debet duplicari ratione absentie: habetur expressè Auth. Quod si quis. C. de præscriptione longi temporis, unus enim annus præsentia æquivaleret duobus annis absentie. Syl. verb. Præscriptio. 1. q. 7. & reliqui DD.

Alter pars, sine titulo requiri anni 30. patet ex cap. Sacerdotum de præscriptione, & ex L. Si quis emptiois §. 2. C. de præscriptione 30. vel 40. annorum.

Ubi advertet, quando agitur de præscriptione 30. vel 40. annorum, ordinariè neque Jure Pontificio, neque Casareo requiritur titulum; sed sufficere bonam fidem, cum possessione tanti temporis, ut docet Covar. reg. Poss. §. 1. n. 2. ex communi Doctorum sententia.

Si autem privatus ille fuit pupillus, nulla contra eum, quantum est in ea ætate, datur præscriptio five mobilium, five immobilium: Si autem non sit pupillus, sed minor (id est, nondum habens annos 25. expletos) requiruntur 30. anni.

Prior pars patet L. Sicut in rem. 3. C. de præscript. 30. annor. H factum id est, in favorem pupillaris ætatis, & status.

Alter pars habetur L. ultima C. in quibus causis in integrum restitutio necessaria non est. Ratio est, quia minores non ita rebus suis possunt invigilare, ut majores, præsertim cum administrationem non habeant.

Ad præscribenda bona immobilia contra Ecclesiam Romanam requiruntur anni 100. contra aliam Ecclesiam, vel Hospitali, vel monasterium, vel contra alias causas, requiruntur anni 40. Est communis DD. De Ecclesia Romana habetur Authentica, Quas actiones, C. de sacrosanctis Ecclesiis, ubi præscriptionis tempus contra reliquas Ecclesias, & pia loca restringitur ad annos 40. (cum antea esset annorum 100.) & soli Ecclesiæ Romanae inter loca pia reservatur privilegium 100. annorum.

De aliis Ecclesiis habetur tum alibi, tum cap. de quarta, de præscriptione.

De aliis piis locis, & causis habetur Authentica, Quas actiones; probat Covar. reg. possessor. §. 2. n. 3. ubi etiam refutat quosdam, qui putabant contra pauperes non præscribi.

Qui

Quibusdam tamen Regularium Collegiis concessa sunt privilegia, ut res immobiles non possint contra ipsos præscribi, nisi annis 60. Concessit hoc Eugenius IV. de plenitudine potestatis Ordini S. Benedicti, & Julius II. Congregationi Sancti Salvatoris, ut eorum privilegiis manucripionibus Sancti Ordinis istis, qui horum privilegia participant; ut Societati Jesu, & quibusdam aliis.

Nomine autem actionum immobilium his etiam intelliguntur Jura, & actiones ad immobilia: item beneficia, census, redditus, jus patronatus, usufructus, & servitutes. Hæc enim omnia fixa manent, & instar immobilium fructum, vel commoditatem afferunt.

QUOAD SERVITUTEM. Servitus metè personalis, quæ debetur personæ, non tempore præscribi potest, id est, usufructione acquiri. L. finali, C. de longi temporis præscriptione; idque verum est, etiam si bona fide putans esse servum emeris: ratio est, quia æquitas non patitur hominem liberum fieri servum ex errore opinionis.

Servus tamen præscribit libertatem contra dominum, si per 20. annos bona fide putaverit liberum; etiam si titulum libertatis non habeat. L. 2. C. de longi temporis præscript. quæ pro libert. Gomez. n. 26. hoc constitutum in favorem servorum.

Servitus mixta, quæ à te debetur personæ, ut est usufructus, præscribitur cum titulo 10. annis inter præsentem, & 20. inter absentes: sine titulo annis 30. L. finali, C. de præscript. longi temporis.

Servitus metè realis, five fit continua, vel quasi continua; (ut tigni immittendi, oneris ferendi, sillicidii, aqueductus) five discontinua; (ut eundi per tuum prædium, agendi jumentum, ducendi currum) cum titulo, & bona fide præscribitur 10. annis præsentem eo, contra quem agitur; 20. verò eo absente, est communis Doctorum, ex L. fin. de præscript. long. temp.

Servitus metè realis si fit continua vel quasi continua absque titulo cum scientia, & patientia adversarii præscribitur decennio inter præsentem, vicennio inter absentes; discontinua verò absque titulo non præscribitur nisi tempore immemorabili; id est, ejus initium non extet memoria. Prior pars est communis Doctorum ex L. 1. §. 2. Cod. de servitutibus, & aqua; eamque tradit Gomezius tom. 2. c. 15. p. 27. Si enim dominus, vel is, cujus interest, scit, & permittit tanto tempore, censetur hoc jus ipse concedere. Altera est etiam communis ex L. Servitutibus 4. §. de servitutibus.

QUOAD JUS PATRONATUS.

Si constat, Ecclesiam olim fuisse liberam, jus Patronatus à laico præscribi nequit, est communis sententia Doctorum. Ratio est; quia hoc jus est spirituale. Quæ ratio non videtur firma: cum enim laicus sit capax hujus juris, cur ex possessione in tempore immemorabili non debet presumi iusto titulo concessum; sed bene probat non præscribi absque titulo, nisi tempore immemorabili: quia præsumptio juris ei resistit: amplius convincere non videtur.

Jus patronatus etiam in Ecclesia parochiali, de qua dubium, an olim libera fuerit, potest præscribi à parochianis 40. annis cum titulo; tempore immemorabili absque titulo: immò etiam annis 40. absque titulo. Prior pars patet, quia cum titulo colorato vel præsumpto possunt præscribi à laico bona immobilia, & jura (ut feudum, & emphyteus) contra Ecclesiam; nec non etiam jus patronatus, quod est minoris momenti? Cur præsumptio juris est contra ipsos; cum credibile sit ipsos esse fundatores illius Ecclesiæ, quando de alio non constat. Altera probatur, quia ex possessione hujus juris per tempus immemorabile præsumitur iustus titulus in parochianis. Adde etiam absque titulo posse ipsos spatium 40. annorum hoc jus præscribere; quia neque Jus commune necque malæ fidei præsumptio illis obstat, ut colligitur ex Covar. lib. 1. variar. resol. cap. 17. Motina disp. 75. §. Merito tamen.

Jus nominandi Rectorem, aut Prælatum in Ecclesia Collegiata, vel Cathedrali præscribi non potest à laico contra ipsam Ecclesiam, nisi annis 70. cum titulo, aut tempore immemorabili absque titulo.

In Ecclesia non libera, jus Patronatus à laico contra verum patronum præscribi potest, cum titulo colorato 10. annis inter præsentem, 20. inter absentes: sine titulo annis 30. Est sententia communis Doctorum cum titulo colorato præscribi Beneficium Ecclesiasticum cum titulo colorato præscribi

potest contra alium, ad quem verè pertinebat, decennio inter præsentem, vicennio inter absentes; sicut alia jura, quæ bonis immobilibus annumerantur. Sine titulo autem non potest præscribi, quia non potest nisi institutione Canonica acquiri ejus possessio.

Qui pacificè aliquod beneficium absque simoniaco ingressu triennio possedit, præscribit contra actionem cujusvis imperatoris, patet ex regula Cancellariæ 33.

QUOAD DEBITA.

Debita rerum mobilium, & immobilium præscribuntur cum bona fide annis 30. contra creditores: & excluditur actio ad ea petenda, est communis sententia ex L. sicut in rem 3. C. de præscript. 30. & 40. annor. ubi dicitur, nec actiones reales, nec personales ultra 30. annorum spatium pretendendas, & infr. omnes hujusmodi actiones 30. annorum jugi silentio emori.

ACTIONES.

Tametsi omnes actiones extinguantur 30. annis, non tamen omnes tantum temporis requirunt. Nam actio, quam habet Resp. adversus Quæstores, & administratores, postquam computus sunt subscripti, seu expuncti, excluditur ab ipsis quidem annis 20. ab eorum hæredibus annis 10. ut habetur L. in omnibus §. de diversis temporalibus præscriptionibus.

Actio redhibitoria ad recuperandum pretium, quando error dedit causam contractui (ut cum quis emit rem vitiosam, quam non emisit, si vitium scivisset) præscribitur contra emptorem sex mensibus, computandis à die, quo vitium rescivit. In foro tamen conscientia venditor ob dolum non liberatur. Si bona fide egit, potest ufucapere pretium triennio: ut constat ex dictis.

Actio quanti minoris, quæ est ad recuperandam partem pretii, quam noluisse dare, si vitium ei perfectum fuisset, excluditur anno. Si tamen hujusmodi actio utilis competat Ecclesiæ, aut pio loco, ad eam excludendam requiruntur anni 40. Omnis enim actio, quæ aliis 10. aliis 20. aliis 30. annis excluditur, hæc si loco religioso competat, non excluditur nisi annis 40. ut habetur Authent. Quas actiones, C. de Sacrosanctis Ecclesiis.

Item actio personalis nuda, & simplex in Hispania extinguitur 20. annis: si autem habet annexum jus summariæ executionis, quod sæpe fit, extinguitur 20. annis: ipsum autem jus executionis, decem prioribus. Actio famulorum ad petendam mercedem in iudicio extinguitur in Hispania triennio, computando à die, quo desierunt servire; in Belgio biennio. Covar. ad Regul. Possessor. p. 2. §. 11.

Quando locus unius Episcopiatus à fide Catholica defecit, si Episcopus loci monitus ab aliis Episcopis, ut eum reducat, per sex menses neglexerit, potest alius Episcopus eum conari reducere, & si reduxerit, ipse erit, ap. 15. Placuit ut quicumque 16. quæst. 3. Si autem non monitus neglexerit, & alius reduxerit, & redudum triennio possederit pacificè, ipse erit: & sic jus repetendi competens priori Episcopo extinguitur triennio. cap. 1. de præscriptione.

Pari modo, si colonus prædium, quod Reipub. superioriorem non recognoscenti in temporalibus, vel supremo Principi est tributarium, colere neglexerit, & alius agricola id colere curaverit, biennio illud sibi acquirit, priore excluso, si præmissa monitio fuerit, sex menses solum ad repetendum prior colonus habet: Ita statuitur in favorem boni publici, L. Lacorum, & H Qui agror, C. de omni agro deserto.

Actio injuriarum expirat lapsu unius anni: L. Si non conviti C. de injuriis; & Panorm. cap. Ea noscitur. num. 4. de sent. excommunic.

Actio ad accusandum adulterium ad pœnam criminalem, vel civilem, perit lapsu quinque annorum. L. Adulter, C. ad L. Jul. de Adult. non tamen extinguitur ad petendum divortium e. 8. Admonere. 33. quæst. 2.

Actio de aliis criminibus accusandis ad pœnam, extinguitur annis 20. L. Querela, C. de falsis. Non tamen extinguitur Jus Judicis, quod ex officio potest procedere contra infamatum, vel canonicam purgationem inducere: quod etiam post 40. annos facere potest; ut docet Panorm. cap. accepimus. 14. num. 1. de pugnat. canon.

Actio ad reclamandum contra professionem extinguitur quinque annis, ut colligitur ex Concil. Trid. sess. 25. de Regal. cap. 19.

Actio quod metus causa, in minore expirat lapsu anni, in majorè,

maiore, si prima opportunitate eam intentare negligat. *Pa. norm. cap. Si quis autem 2. n. 4. de Regular.*
A. Ex his apparet, quanta in huiusmodi actionibus, ut contra eas præscribatur, sit diversitas.

HYPOTHECAS.

Si res hypothecata possideatur a debitore, vel heredibus eius non extinguatur actio hypothecaria, quam creditor habet, nisi 40. annis, requiritur autem in debitore bona fide se non debere; & ut tanto tempore post diem solutionis assignatum creditori non exegerit. Si vero possideatur ab eo, qui non est debitor, nec hæres eius, (ut si fuit vendita ei, quæ ignorabat hypothecam) extinguitur decennio inter presentes, & vicennio inter absentes: habentur hæc *L. Cum notissim 7. Cod. de præscript. 30. annor. l. 1. l. 2. C. Si adversus creditorem. Vide Covar. ad reg. Poss. 3. p. 53.*

FISCO ACTIONEM.

Quando bona alicujus ob non solum vestigal, vel ob similem causam ipso facto sunt commissa, (id est, Fisco addicta) præscribuntur a reo, & ab heredibus eius contra actionem fisci quinquennio: ita ut si quinquennis ad die commissi non petatur, expirat jus fisci. *L. 2. C. de vestigalib. l. 9. commissis*, ubi dicitur, commissum, quod ante quinquennium factum dicitur, nisi lite res anticipata sit, vindicari non posse.

COMMISSUM OB CRIMEN.

Quando ob aliud crimen sunt commissa (v.g. ob crimen perduellionis, ob incestus nuptias) reus quoad multa puniri potest, non potest ea præscribere; alii tamen (sive hæreses sint, sive non) ad quos ea deveniunt, præscribunt ea quinquennio contra fiscum: præterquam in casu hæresis, quia bona hæretici, & Apostata nunquam possunt præscribere contra actionem fisci, nec ab ipso, nec ab heredibus eius, neque ab aliis, ad quos ea devenerint, nisi ipsi ignoraverint illum hæreticum esse, & 40. annis cum hac ignorantia ea possederint. Colligitur ex *c. 2. de præscript. in 6. Vide Covar. in epitome 4. decret. p. 2. c. 6. §. 8.* quia hæc est res merè fori externi; non enim in conscientia tenentur ea tradere, nisi post sententiam cogantur.

LEGATA, FIDEI-COMMISSA.

Legata, & fidei-commissa non possunt præscribi contra legatarium, & fidei-commissarium nisi spatio 30. annorum. Colligitur *L. ult. C. Communia de legatis*, ubi dicitur, Nec usufructuone, nec longi temporis (id est, 10. vel 20. annorum) præscriptionem contra legatarium, & fidei commissarium procedere. Quod autem 30. anni sufficiant, est communis sententia Doctorum, ut docet *Covar. regula Possessor. 3. p. 53. num. 6.*

ADVERSUS PRINCIPEM.

Ut constat de quibus, quantove tempore adversus Principem possit præscribi, quinque bonorum genera, quæ Principem contingunt, considerari possunt, ut docet *Covar. Reg. Possessor. p. 2. §. 2. n. 7.* In primo sunt ea, quæ per sententiam fisco sunt tradita: hæc non possunt præscribi nisi 40. annorum spatio. *L. Omnes 4. C. de præscript. 30. vel 40. annor.* Nec obstat *§. Res fisci. Instit. de usufructu. Ubi dicitur, Res fisci usufructu non potest, hoc enim est intelligendum tempore ordinario, quo res privati potest; ut tribus, 10. 20. annis. Secus autem extraordinario; ut ibidem notat Glossa.*

Quando autem res non est fisco incorporata, sed manet apud reum, vel hæredes, potest præscribi quinquennio: ut didimus et supra.

In secundo sunt ea, quæ quis debet Principi in recognitionem subiectionis suæ, & supremæ potestatis ipsius; ut sunt census, & tributa: horum exemptionem, & immunitatem nemo potest præscribere. *Panorm. in c. Cum nobis, l. 1. c. Ad audientiam, l. 2. c. alii.* Secus est de immunitate ab indictionibus, & collectis, quæ non in recognitionem supremæ potestatis, sed pro expensis alicujus belli, vel simili aliqua publica necessitate solvantur: hæc enim potest præscribi contra civitates annis 40. ut ostendit *Covar. ibid. num. 20.*

Idem dicendum adversus Principem, ut colligitur ex *d. L. Omnes, C. de præscript. 30. vel 40. annor.* nisi aliud particulari lege statutum sit, ut ex aliis docet *Covar. supra n. 15.*

Simili modo præscribi à subditis nequit immunitas ab obedientia Principis, vel ab ipsius correctione, vel ut ad eum non possit appellari; quia potestas præcipiendi, iudicandi, & casti-

gandi omnino intrinseca est auctoritati Principis respectu subditorum. Potest tamen subditus præscribere exemptionem, & libertatem, per quam delinat esse subditus, & non agnoscat illum Superiorem in temporalibus: quod multi Principes antea subditi Imperio Romano fecere, ad hoc autem sufficit 40. anni cum titulo, & sine titulo tempus immemorabile. Exemptio tamen à potestate spirituali Summi Pontificis, nullo modo præscribi potest, sicut nec ipse Pontifex potest aliquid à sua Jurisdictione eximere: quia hæc jure divino annexa est Pontificatui in omnes Christianos, illis verbis Domini, *Pasce oves meas. Joan. 21.*

In tertio sunt ea, quæ est dignitati Principis non sunt intrinseca; tamen ei proprie conveniunt, & reservantur, ut posse indicere vestigal, instituire Tabelliones, legitimum, & similia. Hæc requiri possunt præscriptione ab inferiore, spatio 40. annorum cum titulo: sine titulo per tempus, cujus initium non extet memoria. *Panorm. in cap. cum nobis de præscript.* Estque communis opinio, teste *Covar.*

In quarto sunt bona Principatus, quæ corona sunt annexa; ut prata, saltus, vivaria, prædia rusticana, & urbana. Urbes, Castra, hæc præscribi non possunt contra Principem, nisi 100. annis probatur ex *L. ut inter divinum 23. C. de Sacrosanct. Eccles. ubi in præscribendo legato, vel donato, vel empto, contra civitates requiruntur centum anni; ergo multo magis contra Regnum, vel Provinciam. Hæc enim sunt bona Regni, vel Provinciarum, est communis Doctorum sententia. Secus est de Fisco Principis, hic enim non fruitur privilegio præscriptionis centenariæ, sed tantum 40. annorum: sicut neque civitates, contra quas etiam 40. annis præscribitur: Exceptis iis, quæ habentur *d. L. ut inter divinum.* Quæ sunt hæreditas, legatum, fideicommissum, donatum, emptum: ut enim hæc contra civitatem aliquam præscribas, requiruntur 100. anni. In cæteris sufficit 40. ut passim docent Doctores.*

In quinto sunt ea, quæ Principes possident ut privati. In his quibus præscribitur contra Principem, sicut contra privatum, *Covar. supra n. 19. ex Baldo, l. 1. c. alii*: Nam res patrimoniales Clericorum præscribuntur contra eos, sicut contra alios. Neque ullum Jus exat, quo Principibus hæc in parte aliquo Privilegium præ cæteris, maxime Ecclesiasticis, tributur.

QUOD POSSESSIONEM MALÆ FIDEI.

Si is, qui rem accepit, fit hæres immediatus, nullo tempore eam potest præscribere, etiam si accepisset bona fide, & possidisset. Colligitur ex *L. cum hæres 11. §. de diversis temporal. præscript.*

Hæres, si tamen sit hæres mediatum, id est, hæres hujus hæredis; potest eam præscribere tempore ordinario, dummodo alter eam verè bona fide possiderit. Qui rem bona fide accepit alio titulo putà legati, donati, empti, &c. ab auctore malæ fidei, potest eam præscribere tempore ordinario, nisi res sit immobilis, quam is, contra quem præscribitur, ignorat ab alio possidere, aut futura, vel vi possessa, tunc enim requiruntur 30. anni. Ita communiter Doctores ex *L. An vitium 1. §. superiore. Item ex Authent. male fidei.*

QUID CIRCA CONSUETUDINEM, UT ADVERSUS LEGEM PRÆSCRIBAT.

Consuetudo, quæ inducitur est sciente, & tolerante Principe, non exigit tempus, ut tollat legem. *Glossa in c. 1. de Treuga, l. 1. Pace, l. 1. passim Canonice.* Ut consuetudo, quæ ignorante Principe viget, legi præscribat, requiruntur 10. anni ad minus, quibus bona fide à subditis sit servata. Est sententia communis, obtinens tam contra legem Civilem, quam Canonicam nondum receptam. Si tamen consuetudo aliqua modo sit contra jus Ecclesiæ, requiruntur 40. anni, juxta dicta.

PRÆSCRIPTIO NULLA.

Sive
RES, QUÆ NON POSSUNT PRÆSCRIBI.
In jure quædam dicuntur non posse præscribi, seu uti capiti, quod ordinario tempore non usufructuantur, ut sunt res futiva, vi possessæ, hæc enim 40. illæ 30. annos requirunt. Sic dicendum de bonis adventitiis filii familias, si pater ea alienaverit. Ut neque præscribi possunt, quæ alieno nomine possidentur, ut putà, precarium, commodatum, pignus, &c. nempe ad eo, qui hæc vel tali titulo possidet, vel ab ejus hærede.

Denique

Denique, si jus commune, vel præsumptio malæ fidei obstat præscribenti. Aut sit jus patronatus, ad nominandum Rectorem, vel Prælatum, qui jure communi eligendus erat à Capitulo; nisi intercesserint 40. anni.

Nullo verò modo præscribi potest exemptio ab obedientia superioris. Item res usibus publicis deputata, ut pons, via publica, forum, &c.

ADVERSUS PRÆSCRIPTIONEM RESTITUTIO IN INTEGRUM QUIBUS DETUR.

Restitutio in integrum, quæ nihil aliud est, quam remedium, quod finita præscriptione priori Domino, qui rem suam amisit, relinquatur, ut per Judicem restitui possit in illius dominium; conceditur illis, qui nondum 25. annos expleverunt. Item vis locis, & Ecclesiis etiam si præscriptio sit 40. annorum. Quam sententiam communem dicit *Panorm. in cap. 1. de præscript. l. 1. in cap. Auditis, eodem.* Ecclesia enim habetur in jure tanquam minor, sive pupillus.

Majoribus etate conceditur in præscriptione 10. & 20. annorum, modo probent cum iusta ignorantia sua, aut sine sua negligentia factam fuisse præscriptionem, *lib. 1. §. fin. §. ex quibus causis major. Abbas. Felinus, l. 1. alii.*

*** Præstigium.**

DEFINITIO, ET ETYMOLOGIA.

Præstigium est divinationis species, quæ Dæmon expressè invocatur, ut per speciem aliquam, quam oculis obicit: vel vocem, quam in auribus forma occulta patefaciat, & respondeat, quovis tandem modo, qui variè à Doctores notantur. Modi autem præstigiarii divinationis plures sunt.

MODI VARI.

Decipit autem, vel in errore inducit Dæmon variis modis, & instrumentis adhibitis, nempe per mutationem objecti, quam inducit celeritate agendi, subita occultatione, varia illius colloccatione, &c. per mutationem aeris intermedii, impediendo species ne ad oculum perveniant, vel alterando eundem vaporem immisione, speciem multiplicatione, &c. quomodo nonnumquam videmus, aut saltem ita nos videri existimamus Galliam trahentem maximam trabem, cum solum trahat festucam. Item medium imbuedo qualitate aliqua, quæ species per illud transientes ita mundificentur, ut objectum, non quale est, repræsentent, v.g. si acetum commiscetur sal, & pannus lineus acetum imbibat, & postea accendatur supposita candela, species per medium diffusa horribiles facies præstigium exhibebunt. Similia multa habet. *Guil. Parisiens. l. 1. c. 22. Ann. Mirabilis in suis Secretis, & alii,* atque hunc quidam relegendum apparitionem à S. Augustino *l. 18. de Civit. c. 18.* describit, nempe Philosophi dubia solventis.

Denique ex parte organi ludificatione varia est, nempe ipsius organi situ mutato, item perturbatione ejusdem per humorum interjectionem, vel agitationem, qualis contingit ebriis, & furiosis, qui credunt.

Duplicem solem, l. 2. geminas se cernere Thebas.

Quales ludificationes tempore Ludovici Pii exercebat quidam Judæus Zedechias, qui cursum cum seculo onustum devorabat, hominem in acra jactabat, & membratim disceperat, &c.

Denique impedire solet sensationem, obruens crasso aliquo humore viam spiritui, ne ad organum pertingat, qua fortasse ratione Angeli per usum Sodomas aorasia. *Gen. 19.* Potest etiam immutare phantasmam, veluti cum persuadet hominibus, quod in bestias mutati sint, ut accidit patri Patrio apud S. Augustinum supra.

QUA RATIONE EFFECTUS PRÆSTIGIATORII

DIGNOSCENDI.
Porro præstigiatorii effectus duabus regulis deprehenduntur. 1. Est, si effectus non oriatur à motu locali, & superat causarum naturalium applicatarum activitatem, v.g. suscitatio mortui, aut vera cæcitas curatio, intervenit deceptio, & præstigium.

2. Quando id, quod visum est, statim evanescit, nec permanet, est præstigiolum machinatio. Prioris exemplum est, quando Magi posito in camera arcu de certo ligno, & sagitta alterius ligni, & chorda certi filii, sagittam ejaculantur; & sic faciunt apparere in loco flumen enatum tantæ latitudinis, quantæ fuit sagittæ jactus.

L. B. Theat. vit. Human. Tom. VI.

Posteriori, cum videntur lacerare, & vorare equum, qui mox sanus fit.

Item in illo facto magi, quod narrat de simulato serpente. *Nicetas lib. 4. Annal. cum editore Palatii Constantinopolitani loco Michael Sicidites naviculam vidisset, quæ olla, & patina vehebantur, carmine magico efficit, ut nata exurgeret, & vasa non prius ferire desisteret, quam in pulvere imdesigeret. At paulo post barba prehenfa, lamentari, amoque caliginis, se ut ira nummis agitur deplorare. Rogatus cur metices suas ita tractasset cum dolore narrabat, se remis intentum, horribilem serpentem super vasa porrectum, oculis coniventibus in se conversum instat devoraturum vidisse, qui prius volutari non desisterat, quam scitilia contracta essent, inde subito ex oculis evanuisse.*

De Eonis hæretici, & magi præstigiis testatur *Guilb. Neubrigenfis l. 1. bish. Ang. c. 19.* ita oculos hominum fascinate, ut videretur magnam virorum turbam penes se habere, & regis delicias ciborum, & apparatus splendidissimi abundare. Sed hunc tandem in Concilio Rhemenfi damnatum; cum ad mortem duceretur sæpius ad terram dixisse; Terra findere, idque irritò conatu, legimus apud *Robertum in Chronicis.*

Si dæmon ludit præstigiis, nec contentus miracula præstigiis imitari, conatur in hæreticis etiam ipsa præstigia subdolis lycophantibus adumbrare.

Finiam cum *Apulejo lib. de Asino*, Ante Pæcilem porticum isto gemino obtutu circulatorum adspexi equestrum, spatiam præcutam mucrone infesto devorasse: ac mox eundem invitamento exiguæ stipis venatoriam lanceam, qua parte minatur exitum, in ima viscera condidisse: & ecce, pone lanceæ ferrum, qua bacillum inverti teli ad occipitum per inguen subit, puer in molliem decorus insurgit, inque flexibus tortuosus enervam, & exossam saltationem explicat, cum omnium qui aderant admiratione. Hæc haud dubie dæmon perfecit speciebus falsi objecti in oculis immisissis, per medium aërem is imbutum.

Refer huc Locum de Magia, Superstitionis.

Præsumptio.

*** DEFINITIO, ET ETYMOLOGIA.**

Præsumptio tribus Græcis est nimia suarum virium confidentia, qua fit, ut quis aggrediatur aliquid, vel paratus sit aggredi, quod est supra vires ipsius, quas vel in seipso, vel in aliis paratas habet Latini Præsumptiam appellant.

Vires autem illæ consistunt, vel in facultate naturali, vel in virtute aliqua infusa, vel acquisita, vel arte, aut gratia gratis data, vel denique in potestate Ordinis, aut Jurisdictionis. Horum enim omnium ratione dicitur præsumptuosus, si quid supra hæc tentaverit. Ita *Cajet. in summ. verb. Præsumptio.*

ORIGINE.

Est vitium oppositum, Magnanimitati, idque per excessum, ortum habens ex superbia, quæ facit, ut intellectus concipiat opinionem falsam de suis viribus.

O superba præsumptio! præsumptuosus superbia, quæ non solum Angelos Dei voluit adæquare, sed homines præsumptis deificare. Porro quos erexit, depreffit, & quos exaltavit, humiliavit. Hæc turrim evertit, linguam confudit, Goliath prostravit, Aman suspendit. *Bern. de 12. gradibus humilitatis.*

Vide Superbia. Desperatio.

PRÆSUMPTIO DE MISERICORDIA DEI

Quænam sit.
Præsumptio de misericordia Dei (quæ dicitur peccatum in Spiritum S.) est, quæ quis non curat divinam justitiam confidens Deum ipsi veniam præstiturum, etiam si de conversione, aut emendatione vita non sit sollicitus. Estque vitium oppositum spei: excedit enim modum in sperando, indebite confidens de bonitate divina, non de sua virtute.

EXEMPLA HISTORICA.

Sic peccarunt Aetiani ab Aetio ita vocati, iidemque Eunomiani ab Eunomio Aetii discipulo, quo nomine magis innotuerunt. Eunomius quippe in Dialectica prævalens, acutus, & celebris defendit hanc hæresim, dissimilem per omnia Patri afferens Filium, & Filio Spiritum S. Pertur etiam uique adeo fuisse bonis moribus inimicus, ut asseveraret, quod nihil cuique obesse quorumlibet perpetratio, ac perseverantia

Q9

pecca-

peccatorum, si hujus, quæ ab illo docebatur, fidei particeps esset. Aug. lib. de heres. Quotvultdeum, heres. 54. Sic quoque hodie peccant complures, qui sola fide in Christum sibi blandientes, vel in mediis peccatorum foribus, ut iumenta, computrescunt, nec sibi solum, sed aliis idem polliceri audent securitatem, modò meritis Christi, & Dei gratia per fidem apprehensa fiant, quantumvis interim penitentiam fructus negligantur. Idem Aug. de fide, & operib. c. 14. & 22. & alibi.

Prætor. Pratura.

DEFINITIO, ET ETYMOLOGIA.

Prætor aliquando is, qui Consul, Πρατωρ ἐξ ἀνάγκης ἐστὶν ἀνάγκη ἀναγκάστου ἵνα, inquit Justinian. Novell. 13. Prætores vocantur, quod aliis omnibus prærent, quibus & permittitur sibi civile scribere. Hinc Prætoria dicta Loca in quibus jus dicitur. Pratura verò officium est, sive dignitas B Prætoris ad alios etiam magistratus, administratores, & præfectos fuit translatum.

INSTITUTIO APUD ROMANOS.

NUMERUS, ET VARIETAS.

Primus Prætor Romæ institutus anno Urb. 388. Furius Camillus Livius lib. 7. Additus alter anno 510. Peregrinus dictus in epitome Livii lib. 10. Additi duo anno 520. Sicilia, & Sardinia in Provinciam redactis, qui illuc cum Imperio mitterentur Epitome Livii 20. Item duo vicis Hispaniis anno 557. Ita in universum ad tempus Prætores sex, & quibus duo jure dictione præerant, reliqui in provincias missi. Id tenet, donec quaestiones perpetue constituta ann. 605. L. Censorino. M. Manlio Consulibus, patribusque tunc visum, ut in totum Magistratus sui annum Prætores in urbe manerent, & quibus duo more prius jus dicerent, reliqui quatuor publicis judiciis præerant, iidem omnes exacto anno sorte in provincias mitterentur.

Sylla Prætores duos addidit, ita ut ad Ciceronis ævum octo tantum Prætores fuerint, non decem, ut voluit Pompeius lib. 1. de origine juris.

Cæsar Dictator addidit duos Prætores tutelares, ut Dion. l. 43. biennio post 74. iterum anno post 16. Tiber. ad 12. rescidit. Claudius addidit duos, qui de hæc commisit jus dicerent, quorum unum & privatus jus diceret, & postremum adjectus Prætor tutelaris à Marco Imperatore, ut ait Capitolinus. Ita quindecim fuerunt.

Constantino imperante Romæ duo tantum Prætores, à quibus ad præfectum urbis appellatum est, l. si apud C. de appell. Constantino poli Constantinus Magn. nullum urbis Præfectum, sed tres Prætores imposuit, l. 5. C. Theod. de prætor. l. ult. C. de præd. minor. Primus Flavianus dictus, Secundus Constantianus, Tertius triumphalis Prætor l. 13. C. Theod. de prætorib. Flavianus Prætor officium Præfecti urbis exercebatur.

Sub Valentiniano quatuor Prætores fuere, qui Calendis Januariis Magistratum inibant. Gratianus alios quatuor addidit, l. ult. C. de offic. prætor. l. 1. C. de præd. minor.

Justinianus prætorum plebis creavit magnificentissimum, qui apparitores habuit. Idem Prætorum Justinianum in Lycia, qui civilia, & militaria administraret. Novell. 25. §. 1. Mænia curabat, & aquæ ductus. Item Prætorum Pifidiæ. Nov. 20. 24. 29. Prætor Justinianus sublati Vicariis præfuit Thraciis. Novell. 8. & 26. fuit spectabilis.

Novella 13. Justinianus Prætores instituit custodia, & motibus moderandis, qui turbas populi compeferent.

Ante Justiniani ætatem Prætoris nomen usque adeò viluerat, ut symbola, & insignia à Præfectis urbis acciperet, cum tamen ea dignitas esset διακρίσεων ἰδίων, ἢ πάλαι, & Commentariorum haberet, Justinianus instituit, ut symbola ab Imperatore acciperet, & illustres ad eam eveherentur, qui cognoscerent, πρὸς μεγάλων ἡγετων, & alii ejus generis rebus, incendia relinguerent, & furta ex incensis ædibus impedirent.

In vet. inscriptione reperitur Prætor juvenutis. Sub Imperatoribus Prætores post quaesturam statim creabantur omnia Adilitate, teste Symmacho lib. 4. Epist. 8. Novell. Justinian. 26. Symmachus lib. 8.

Urbanum tribunal filium meum Prætorcm accipiet. Capi-

tolin. in Marco. Capitales causas hominum honestorum ipse cognovit, & quidem summa aequitate, ita ut prætorum reprehenderet, qui cito reorum causas audierat, juberetque illum iterum cognoscere, dignitatis interesse dicens, ut ab eo audiretur, qui pro populo judicaret.

Prævisio. Præcognitio.

Futurorum bonorum, vel malorum.

IN GENERE.

Apud Æschylum Prometheus ita loquitur: Καὶ οὐκ ἔστιν ἄνθρωπος ἀπὸ τῆς φύσεως ἀσπίδος πρὸς τὸν πόθον, ἢ τὴν ἄσπίδα πρὸς τὸν πόθον. Id est. Quamquam quid ajo? cæli prænotui optime Futura, nec ventura calamitas mihi Inopinata quænam est. Muretus lib. 5. Var. lect. cap. 10. Virgilius Æneæ suo, quem omnis virtutis exemplar esse F voluit, ut cæteras laudes, ita providentiam quoque tribuit: cum cum his verbis de se loquentem fecit, non ulla laborum, O virgo, novam facies, inopinave surgit, Omnia præcepi, atque animo mecum ante peregi.

IN SPECIE. PRÆCOGNITIO PRUDENS

corum, quæ pertinent ad Bona, malæ. ANIMI, AD VIRTUTES, ET VITIA.

Consule Tit. Indolis exploratio. Illis. Subiectionis ratio habetur: hic Habitus, circa subiectionem versantis.

Cum Darius Rex, ob servitiam in Istro ratem, Histio Milesiorum tyranno locum quemdam, nomine Myrionem, prope Strymonem fl. Thraciæ, dono dedisset, ut in eo urbem conderet: Megabyzus præfectus copiarum Darii in Europa, videns loci commoditatem, & Histia industriam, ne regnum Thraciæ aliquando contra Darium occuparet: suavit Dario, ut eum Sufa ad se vocaret, neque unquam in Græciam reverti fineret. Darius parvi, & Histiam vocavit, quod ejus consilio se opus habere diceret. Herod. lib. 4.

In seditione populari inter Pedizos, quorum dux erat Lycurgus, & Paraliorem, quibus præerat Megacles, & Diacrium, quos ducebat Pifistratus, Solon Athenas regressus, propter senectutem ad dicendum, vel agendum, nec aptus, nec alacriter, Pifistrati tamen cognovit ingenium, fraudemque primus intrepidus: non suscepit tamen odium ejus, verum demulcere nitentur eum, & corrigere. Cum jam movere Thespiis coepisset tragediam, & retineret reinovitas multitudinem (necdum enim ad certaminis contentionem evaserat res) quod audiendi, & discendi Solon studio teneretur, magisque in senectute in otium, ludumque se, & vero etiam in convivia, atque musicam remitteret: ipsum agentem, ut mos erat veterum, spectavit Thespiis. Mox sub ludis convenit eum, quasi vitæ: Equiv ipsum puderet in tanta corona tanta proferre mendaciam? Ubi respondit Thespiis. Non esse indignum ea per ludum vel dicere, vel facere: Solo terra baculo graviter percussa: At brevi, inquit, qui nunc probamus, & amplectimur hunc ludum, reperiemus eum in contractibus, & negotiis. Ut vero semetipse Pifistratus confuavit, atque ita theda in forum delatus, populum, tanquam insidiis inimicorum Reip. causa esset circumventus, inflammavit, multique vicem ejus indignitatem, fremerentque, propius accedens Solon assilentes ei: Parum redde, inquit, agis fili Hippocratis, Homerium Ulyssim. Eadem enim designas fallendum civem, quibus hostes ille flagris à semetipso multatus eluit. Inde prætor plebs fuit ad protegendum Pifistratum, & ad concionem venit populus. Ubi cum ferret Ariston, ut quinquaginta stipendios stationarii ei assignarentur: surrexit Solon ad id dissuadendum. At cum inopes cerneret studiosos Pifistrati, & tumultum cientes, locupletos vero ob metum fugæ consulentes: recessit, dicens: His se fortiorum, illis esse providentiorum. Pifistratus occupavit eum. Inde tumultuante civitate, consilium Megacles cum Alcmaeonidis profugit. Plut. in Solone. Elegi autem Solonis de tyrannide Pifistrati hi sunt, quos Laert. lib. 1. recitat.

De vobis non speravi xivovs sive, ἢ δὴ χαλκῶν. Βρονχῶν ἐν λαμπρῶν γίνετα ἀσπιδῶν. ἀδύνατον τὸ ἐν μεγάλων πόλεω ἀδύνατον. ἢ δὴ μοιραῶν. δῖμος ἀδύνατον δολοκλίβητος ἴστυον.

C. Lont.

L. Cor. Sylla, deposita Dictatura, advertit quandam prætor sententiam suam audentem hominem, & hostem suum Consul em designari M. Lepidum, non per se, sed favore populari, ob C. Pompejum ejus studiosum, & pro eo presentem. Quare cum exultantem victoria videret Pompejum Sylla, accesserunt cum exultantem victoria videret Pompejum Sylla, accesserunt vitæ digredientem, dixitque. Præclaram verò rem adolefcentem gestisti, qui priorem Carulo Lepidum omnium optimo stolis diffimul fecisti Consul em. At tu fac vigiles, cum in te ipsum effeceris adversarium tuum valentior em. Sanè illud Sylla quaesivi vaticinatus est. Brevis enim oppugnavit in insolentiam erumpens Lepidus Pompejum. Plut. in Sylla.

Cum Pompejus, & Crassus, Cæsaris tribunici studiis Coss creati, & frustra repugnante Catone, provincias partiti essent: cumque mox alia lex de Cæsaris provinciis, & legionibus in quinque annos promulgaretur: non jam ad populam M. C. quinque annos promulgaretur Pompejum, testato denunciavit, to, sed ad ipsum convulset Pompejum, testato denunciavit, non intelligere ipsum nunc, recipere in humeros suos Cæsarem: ubi verò gravari coepisset, & opprimi, nec deponere possit, nec sustinere ferre, facturum ipsum, ut fecum omnem eijceret in Remp. ac tunc Catonis admonitionem memorem fore, non minus Pompejo salutarium, quam honestatum, atque iusturum. Ea Pompejus cum crebro audiret, felicitatem tamen suam, & potentia fretus contempit, & transiit, non credens futurum, ut se immutaret Cæsar. Plut. in Catone.

Augustus Germanum Drusi F. pro concione palam Reipublica causa sese ad optare juravit, de coque sæpe illum Ennii versiculum pronuntiavit:

Unus homo nobis vigilando restituet rem.

Ceterum Tiberii insidiis sublato Germanico, Augustus jam animam agens digrediente Tiberio, cum quo longum, & arcanum sermonem habuerat, exclamavit Miserum P. R. qui sub tam lentis maxillis edet. Suetonius.

Tiberius Rex, Caligulam habebat supra fidem obsequentem, omnia etiam apera, & gravia æquanimitè tolerantem, adeo ut nullus in proverbium versa fit: Nullus servus Cajo melior, nullus pejor dominus, & tamen sæpe dicere solebat: Illum suo & omnium exitio vivere: & Venenofum, & mortiferum mundo animal Romæ ali. Idem.

Dux Tridentinus Alahis, victoria parta de Comite Bojariorem inflatus, Pertharito Longobardorum Regem despicens, validis se Tridenti adversus eum præfidiis communi-

vit, urbeque subito egressus, castra Regis invasit, atque eum cum suis fugæ se mandare coegit, Cumpertus Perthariti F. jam inde ab adolescentia magna cum eo familiaritate conjunctus, veteris necessitudinis memor, partem precibus exoravit, ut eum in gratiam reciperet, licet castris ab eo exutus, atque in fugam compulsus esset: quin etiam eodem erga illum studio incitatus patrem post sepe illi insidias molientem ab incepto non solum deterruit, sed etiam fidelem sperans fore, Duce m Brixia creandum curavit: Pertharito sæpe monente, videret, quid pararet: non enim sibi ipsi amicum beneficio devincire, sed inimicum in exitum suum præfidiis haud modicis confirmare: regnum illum novo Brixianorum, quorum maximæ semper inter Longobardos copias fuerunt, auxilio tentaturum. Nec vana fuit prædictio, cum post mortem Perthariti regno Canipertum exuerit. Sig. lib. 2. reg. Ital.

Alfonso XI. Hispaniæ Rex in obfisione Gibraltæ pesse moriens, non tam morte propria doluit, quam quod Petrum filium dyfcolum successorem relinqueret, cujus ingenium crudele perfectum habebat. Rod. Sanitius p. 4. hist. D. Hisp. c. 13.

Carolus Princeps Vianæ, Joannis Aragonum Regis F. cum ad se præsidentem Ferdinandus Catholicus frater, puer annorum sexè quinquæ, venire nunciaretur, ei consensum surgens obviam descende: & suis quibusdam dicentibus, ut eum, quoniam puer erat, expectaret in mensa: At ego hunc puerum, inquit, prolicio Principes omnes, quos Hispania nostra peperit, omni genere virtutum speraturum. Nec vana fuit conjectura. Marinæus lib. 9. rer. Hisp.

Ferdinando, Hispaniæ Rege, in Regnum Neapolitanum veniente, scilicet dies acti Neapolitemotis mensis choreæ à juvenibus nobilibus ductæ. Eo in ludo Ferdinandus Davalus Pifistratus sextumdecimum ætatis annum tum agens, ante alios, tanta arde, omnes saltationis modos adimplevit, ut Rex ipse palam diceret ad proceres: Ille adolefcentis ex gestu, certa que oris indole supra hos omnes, magnus quidam Imperator esse videtur: & si me opinio nequaquam fallit, omnium evadere longè præstantissimum. Jovius in Dicitario lib. 1. L. B. Theat. vit. Human. Tom. VI.

Henricus VI. Anglorum Rex, cum Henricum Edmundi fratris uterini Richemondæ Comitiss F. vidisset, aliquantum E tacitus illius altam indolem contempletus, Principes, qui aderant, sic affatus dicitur: Ille nempe, iste est, cui nos, ac nostri adversarii rerum possessione cedemus. Ita vir sanctus prædixit futurum, ut Henricus quandoque regno potiretur. Cæso namque ab Edovardo IV. Henrico VI. & Principibus omnibus interemptis, solus Henricus iste evasit ad Britannum. Qui cum auro Anglico expugnatus hospitem dedere pararet. Jo. Chenletti Britanni Principis consilio servatus est. Tandem cum mortuo Edovardo Richardus frater regnum invasisset, conjuratione Principum revocatus Henricus, Edovardi filiam uxorem duxit, & ad regnum pervenit. Polyd. lib. 4.

Cum nunciatum esset Andræ Gritto absenti, Constantinum Cavaciam, unum ex quatuor scribis, à decemviri consilio delectum, qui locus honestissimus in primis fit, summaque inter plebejos dignitas: Utinam, inquit, patres ipsi maturis Reip. consulissent: nam laqueum video Constantini collo hoc ipso decreto appensum esse. Quod sanè illi contigisset, nisi exilio suo pessime de Venetis meritis, fugam atripisset. Egnatius lib. 6. c. 4.

Laur. Medices sæpenumero inter amicos suos de Petri F. imprudentia, atque arrogantia questus fuit, quam dicebat suæ domui ruinam aliquando paritaram. Nec falsus vates. Nam cum Carolo IX. arma in se prudenter concitasset Petrus, & serò tandem perempto periculo, iniquissimum conditionibus pacem à Florentino urbe pulsus est. Guicciardinus lib. 1.

Heremias Caldenacii Comes Patavinus locupletissimus filiorum suorum ingenii diffidens Abbatiam Carcerum construxit, & multis redditibus dotata, ea lege, ut si filii, vel nepotes sui aliquando egerent, de alimentis, vestimentis, & equis, etiam ad militiam necessarios, illis prospiceretur. Nec inanis fuit timor. Mortuo enim patre, Beltrandus, & Theobaldus opibus amplissimis in ludos, aleam, atque sortia profusus, ad egestatem redacti, ab Abbate armis, & equis instructi, in militiam ad Dalmatas abiit. Scaerdeonus l. 3. classis 13. hist. Pat.

CORPORIS PROVIDENTIA.

Mortis.

Cum Maximo, & Balbino judicio Senatus delatum esset imperium, fertur Maximus Balbino dixisse: Quid tu Balbine, & ego merebimur, cum, hanc immanem belluam, hoc est, Max. G. Senatum, exitio dederimus? Cumque Balbino dixisset, Senatum Populique Romani ferventissimum amorem, & obis terrarum: subjunxisset dicitur Maximus, Vereor ne militum odium sentiamus, & mortem. Et ita evenit. Nam cum annum unum imperassent iustissimè, & elementissimè, à prætorianis interfecti sunt in Palatio. Cusp. A. D.

Periculi.

Otho I. Cæsar nunquam se discrimini prælorum commisit, nisi prius testamento legitime facto de rebus omnibus, & de filiorum successione. Crantzius lib. 3. Saxonie. 24.

FORTUNÆ PRÆVIDERE.

Vitiorum.

P. Scipio Africanus in Hispania oppidum & situ, & defensoribus munitissimum obfidebat, nullaque ejus potiundi spes esse videbatur. Quodam die in castris jus dicens, cum à militibus litigantibus interrogaretur, in quem diem, locumque vadimonium promitti juberet? Scipio manu ad arcem oppidi protenta, Perendie in illo loco vos sistite. Die tertio, in quem vadari jufferat, oppidum captum est. Eodem die in arcem jus dixit. Gell. lib. 7. c. 1. ex Hylgino & C. Oppio. H.

Regni successionem.

Henricus VI. Anglorum Rex. Vide Titulum immediate præcedentem.

Tyrannidem.

L. Sylla deposita Dictatura, cum domum rediret ab adolescentulo conviciis exceptus, nemine interea reperto, quibus intemperim castigaret: tulit patienter aratis intemperiam. Ceterum ubi domum ventum est, sive conjectura, sive divinatione quadam futurorum, ad eos, qui propè aderant, convertus, dixisse fertur. Intemptivam illam infestationem in causa fore, ut quicumque post se dignitatem illam invaderet, nunquam nisi cum morte deponeret, quod haud multis inde post annis in C. Jul. Cæsare evenit. Sabell. lib. 3. Ann. 6.

Locorum celebratam, Occasionem felicem, vel infelicem. Epimenides Phæstius, in numero Sapientum septimus ponitur ab iis, qui Periandrum excludunt. Hic Athenas à So-

Julius Capitolinus refert, Antoninum Pium Cæsarem, se- nem jam, & silicernium, manè, antequam salutatores veni- rent, solo pane sicco robur virium sustentasse.

Aritoteli perhibet, Pythagoricos non aliud, quam pan- nem cum melle Attico prandere solitos. Erat autem id pla- centæ genus, quod ex butyro, & melle conficiebatur, gratum palato obsonum.

Galenus h. s. de tuenda sanitate, ad eandem sententiam com- probandam, utitur Antiochi Medici experientia, qui validus, atque robustus 80. annos excegerat, ter in die cibum capiens: Hora diei tertia, ad summum quarta, panem fumebat cum melle Attico crudo, vel cocto: inde post horam sextam diei fricabatur, exercebatur, lavabatur, post prandebat tenuiter, ac comabat uberius.

Deus quoque Opti Max, ut Exod. 16. scriptum legimus, Judæos in deserto, vesperi quidem coturnicibus, manè autem pane illo cœlestis demisso, Man dicto, pavit. Sic enim scriptum est: Vespere, inquit Deus, comedetis carnes, & manè satura- bimini panibus. Ergo Deus quoque hujusmodi dietam popu- lo suo instruit, ut vesperi quidem carnis, seu solidiore cibos manè autem panibus vesceretur: & ita cœna largior esse

Prandio, five pentaculo. His, atque aliis hujusmodi rationibus nonnulli utuntur ad probandum cœnam prandio majorem, uberioremque esse debere: Verum bene, sapienterque monet Christoph. à Vega, qui eandem sententiam sequitur, diversam esse quæstionem, si quis modum excedat: expedire enim id prandii hora facere, quippe cum postea excretionem, & abstinendo à cœna, ex- cessum illum, seu abundantiam emendare possit, minusque gravetur, quam si in cœna nimio sese potu, ciboque onera- set. At vero si justa adhibeat esse major: Qua in re, ut in aliis omnibus, cum Hippoc. monet, consuetudini esse ser- viendum, quæ quidem optima fuerit, si cœna prandio fit major, licet hac tempestate homines, qui nullam vivendi ra- tionem servant, & soli appetitui serviunt, plenius prandant, quam cœnent.

Non contentenda etiam videtur esse Hieronymi Gabu- cini sententia de hac Medicorum controversia, cujus ille hanc rationem reddit lib. 3. de morbo comitiali, quæ ad anti- quam consuetudinem melius intelligendam facit: Præcili illi, inquit, diem, quicumque illi fuisset, five ætius, five hyber- nus, in 12. horas dividebant, ad cuius tertiam prandebant, cœnabant ad nonam: cumque superesset horæ diei tres, post cœnam ante solis occasum (quatuor enim ventriculo ad concoctionem tibi ingenti acerbunt horæ ideo lautius copio- siusque cœnabant, haud veriti vapores, qui à copiosiore cœ- na, effluentur ad cerebrum, cum jam ducituli fuissent, anti- quam dormiendi instaret necessitas.

Actuarii vero (intellige etiam reliquos, qui ejusdem fue- runt sententiæ) ut qui hodiernum morem in exiubendo cibo tenebant, in quo per horam, ad summum duabus à somno abstinemus, minoræ prandio cœnam esse voluit, ut qui, si copiosior foret cœna, ob somnum imminuentem caput multus vaporibus repleri, atque ita spiritus illos animales lædi posse existimarent.

Hac de hac quæstione satis sint dicta, de qua multa in utramque partem satis probabiliter disputari possunt. Qui plura cupit, legat Langium in Epistol. Medic. Hieronym. Gabu- cini lib. 3. de morbo comitiali. Cardan. de abusu medendi, & tra- ctat. 5. contradiet. 18. Christophor. à Vega lib. 2. de arte meden- di. Fuchsi Paradoxa 72. 2. Dimum Florentinum in epist. An- dreæ Trucini. Nicol. Massam in 4. comm. epist. medic. epistol. 4. de tuenda valetudine. Cælius Rhodig. lib. 14. can. 9. cur veteres largius cœnarent, quam præsi sint. Valleriolum lib. 3. cap. 13. loc. comm. Aloysium Mundellam. Dial. 6. Aloysium Trifium prob. 4. cap. 99. Matthæi Curtii Papiensis libellum de prandii, ac cœnæ modo, qui Romæ in octavo excusus pro- diit ann. 1566. Eadem de re Turinus, & Odus disserue- runt.

Preces.

Vide ORATIO.

Presbyter.

Vide SACERDOS.

* Pretium.

DEFINITIO, ET ETYMOLOGIA.

Pretium Græcè τιμή, quod datur pro re emptâ, vel ap- pretiata. Quod ut iustum censetur, debet vel à publi- câ potestate ob commune bonum taxari: vel communi homi- num æstimatione determinari.

PARTITIO.

Pretium duplex à DD. communiter statuitur: Legiti- mum, & naturale, five vulgare. Legitimum est, quod lege Principis, aut Reipublicæ definitur, idque ex officio, ac ple- rumque iustum censetur, præsumitur enim Princeps Magi- stratus consideratis omnibus circumstantiis, è quibus rerum æstimatio pendet, statuisse quantum vendi re debeat, ne subditi eorum decipiantur, unde istud pretium consistit in indivisibili.

Naturale est, quod velut à ratione naturali cernitur in iis rebus, quibus à publica potestate non est impositum pretium, quod etiam vulgare appellatur, quia imponi soletat communi hominum intelligentiam æstimatione, habetque suam latitudinem, ait Scotus d. 1. 15. q. 2. & alii.

Pretium vulgare est triplex. Infimum five piium: medium, & summum, quod & rigorosum vocant, y. g. pretium medium sit 10. infimum erit 9. plus minus, summum 11. rursus medium sit 100. infimum erit 95. summum 105. ut tradit Covar. supr. n. 1.

Cætera, quæ circa pretia rerum considerari possunt, vide autor apud S. Thomam, ejusque Interpretes 1. 2. q. 77. art. 1.

CIRCUMSTANTIÆ.

Æstimator rerum crescere, vel decrecere potest circum- stantiis, quarum quædam spectantur circa ipsas merces, ut copia, inopia, necessitas, utilitas earum: quædam circa vendi- tores, ut labores, expensæ, pericula, damna in illis compara- randis, conservandis, & advchendis: Item modus vendendi, nempe an ultero offerant, an rogati vendant. Quædam circa emptores, multi scilicet, an pauci: Denique circa pecuniam, si ne illius copia, an inopia, &c. videatur Molina, Malderus, Lessus, in Tract. de Jure, & Justitia.

Videatur Locus de Contractibus.

* Primitiæ.

DEFINITIO, ET ETYMOLOGIA.

Primitiæ, quas Græci ἀπαρχὴς vocant, dicuntur primi fructus agrorum, & arborum, ut patet Deut. 26. ubi ju- bendur dare primitias: Tolles de cunctis frugibus tuis primitias, & pones in cartallo.

Aloquin vox ista transferretur etiam ad res alias. Sic legi- mus apud Poetas primitias operum.

Tubellis, tua pace ferēs de more frequentes Primitias operum Stat. 1. Thebaid.

Item primitiæ armorum apud eundem leguntur, libid. Hei mihi! primitiis armorum, & rite nefasito Libanus, iussuque mori.

Idem ipse meminit primitiarum lachrymarum s. Theb. Primitias egomet lachrymarum, & cædis acerbe Ante tubas, feruntque tuli.

Quin, & apud Christianos operum, & actionum primor- dia primitiæ vocantur. Olim enim Imp. mox à creatione sua, H officium, & obsequium Romano Pontifici impendebant, quasi Imperii primitias Apostolicæ Sedi deferentes. Fecit id inter alios Iulianus Imp. ad quem scribens Hormisdus Pontifex. De- bitas, inquit, B. Petro Apostolo imperii vestri primitias reddi- distis.

PRIMITIARUM LEX.

Lex primitiarum habetur Numer. cap. 5. ubi & ex area primitiæ messis, & ex vindemia primitiæ vini, & uvarum in fine anni, nempe in Festo Tabernaculorum exiguntur: priores vero offerbantur in Festo Pentecostes. Erantque in singulis urbibus constituti à Pontificibus, & Sacerdotibus, qui primitias colligerent.

Quod ut melius intelligatur, observatur in Scriptura divina, Judæos pendisse quadruplices primitias. Primo spicarum, die azimorum. Lev. 23. vers. 10.

Secundo primitias panum in Festo Pentecostes, ibid. v. 17. & vocantur pulmenta, qui præci tam Hebræi, quam Romani, puli

pulibus pro pane utebantur: unde cum panem pinferent, A separabant panem primitiarum pro Sacerdotibus. Immo hodie Judææ mulieres quoque panem pinferunt: placentam, five tor- tellam separant à reliqua pasta, & velut Domino consecrant, quia atque Templum non habent, exorant eam in cibano, quia existimant non licere ea vesci, formula autem, qua utuntur dum eam consecrant, hæc est: Benedictus sis tu, Domine Deus noster, Rex mundi, qui sanctificasti nos præceptis, & præcipi- tibus nobis separare placentam de pasta, &c.

Tertio primitias panum, quos hebdomadam pinferbant, de quibus paulò ante.

Quarto in festo Tabernaculorum tam ex messe, quam ex uvis dabant primitias, & de his passim loqui intelligenda est Scriptura.

QUANTITAS.

Primitiarum quantitas à Deo definita non est: ex consue- tudine tamen, & decreto majorum fuit definita: nempe ut darentur in Quadragesimam, & sexagesimam partem: ut tra- dit S. Hier. in Ezsch. 45. Abulen. in c. 18. Numer. g. 14.

CUR DATE.

B Primitiæ non proximè dabantur Sacerdotibus in stipen- dium sustentationis ob ministerium spirituale, ut decimas: sed primum Deo dabantur in gratiarum actionem pro frugibus terre; & deinde cedebant in usum ministrorum.

Et quamvis Jure naturali non tenetur ad primitiarum sol- utionem, est tamen rationi naturali admodum consentanea illarum persolutio, ut quæ dicitur, decens esse, ut prima quæque Deo offeramus.

Vide Locum de Donatione. Tit. Donatio religiosa.

USU APUD ETHNICOS.

Refert Plinius lib. 18. cap. 2. veteres Romanos nunquam so- litos guttare novas fruges, aut vina, antequam Sacerdotes primitias libassent.

Vide de hac re nonnulla, Tit. de Sacrificiis Ethnicorum in Loco de Ethnicis: ubi de Sacrificiis singulariter consideratis. Item Tit. de Donationis, sive annuletis Superstitiosis. In Loco de Superstitione. Tit. Superstitio circa Sacrificia.

Primogenitus. Primogenitura.

DEFINITIO, ET ETYMOLOGIA. DIGNITAS.

Primogenitus juxta nominis etymon dicitur, qui pri- mo est natus. Atque in Scriptura Exodi cap. 11. ubi dicuntur cæsi omnes primogeniti Ægypti, intelliguntur om- nes, qui primi ex parentibus nati erant, five haberent filios, five non: five parentes eorum viverent, five defuncti essent: sic ut omnes patres familias essent primogeniti. Censet tamen, & non male Abulen. s. intelligi primogenitos tam ma- res, quam feminas, adeoque primogenitos respectu utrius- que parentis.

In lege tamen Naturæ primogenitus intelligitur is, qui caput, & princeps erat familie: neque enim omnes, qui pri- mo generati memorantur à Noe Gen. 70. fuerunt primogeni- ti: juxta S. August. lib. 15. de Civit. cap. 20. cum sit verisimile Noe ante diluvium filios habuisse, quamvis non fiat eorum mentio.

In lege scripta, Princeps tribus erat primogenitus, qui ab D ipso capite tribus, five Patriarcha, v. g. à Juda, aut alio, dire- ctè per lineam primogenitorum descendebat: quomodo etiam principes familiarum, quorum fit mentio Numer. 26. erant primogeniti illius familie. Excepit tamen Principes Levitarum, qui ad placitum constituebantur, nam Eliaphan Princeps Caathitarum patrem habuit Oziel minimum natu filium Caath filii Levi, ut patet Numer. cap. 3. v. 19. & 30.

Neque est, quod apud Hebræos duntaxat hanc primoge- niturum dignitatem fuisse arbitremur: nam & hodie apud Christianos in nonnullis regnis, maxime in Scotia, Anglia, Hibernia, principes familiarum sunt primogeniti, & qui ab ipsis primò descendunt, eisque quali ducibus tota familia adhaeret.

Vide plura inf. à. Tit. Jus, & Prærogative.

PRIMOGENITORUM LEX, ET PARTITIO.

Quamvis primogeniti vox ad homines restringatur, tamen etiam in pecoribus locum habet, & jumentis: quia dicitur Dominus cæcidisse omne primogenitum in terra Ægypti, à primogenito Pharaonis, qui in solio ejus sedebat, usque ad L. B. Theat. vit. Human. Tom. VI.

primogenitum captivæ, quæ erat in carcere, & omne primo- genitum jumentorum. Exod. cap. 12.

Capite deinde sequenti inseritur Dominus ad Moysen lo- cutus in hæc verba. Sanctifica mihi omne primogenitum, quod aperit vulvam in filiis Israel, tam de hominibus, quam de jumentis: mea enim sunt omnia: ubi mandat tibi separari à communi usu, atque offerri, idque non eo tempore, quo occupati erant, ut inde migrarent, sed cum possiderent terram Chanaan, uti exponit legislator ibid. vers. 11. addens: Cum- que te rogaverit filius tuus eras, dicens quid est hoc? Res- pondabis ei, in manu forti eduxit nos Dominus de terra Ægypti de domo servitutis: nam cum Pharaos esset induratus, & nollet nos dimittere, occidit Dominus omne primogeni- tum in terra Ægypti à primogenito hominis usque ad pri- mogenitum jumentorum: ideo immolo Domino omne, quod aperit vulvam masculini sexus, & omnia filiorum meo- rum primogenita redimo. Erit igitur quasi signum in manu tua, &c.

Additur autem in Lege hæc (quod aperit vulvam) ut ex- cludatur Christus: Deinde ne quis patris solos filios offren- dos arbitretur: nam in pecoribus est manifestum, primoge- nitum non patris, sed matris spectandum. Idem quoque in hominibus obtinet: unde notat S. Aug. q. 23. primogenitum hic à LXX. vocari πρωτόγονον, à primo matris partu. non au- tem πρωτόγενον, à prima patris generatione: unde si virgo ado-lescens viduam habentem liberos duxisset, non fuisset primo- genitus is, qui ex illo conjugio natus fuisset, neque enim pri- mus matris vulvam aperivisset. Sic è diverso, qui plures habe- bant uxores, singularum primogeniti ex hac lege erant offren- di. Denique debebant esse sexus masculini: unde si pri- mo femina nata fuisset, & deinde masculus, non fuisset is hic primogenitus.

Cæterum quamvis hic mentio fiat primogeniti Jumen- torum, tamen id intelligendum venit de pecoribus, quæ ad pastum aluntur, è Jumentis enim solius asinae primo- genitum erat separandum, & offerendum, non in prop- ria specie, sed mutatum ove: ut constat vers. 13. quod si non redimeretur, nempe quod vilior appareret, occi- di debebat. Primogenitum quoque hominis pretio redi- mebatur, nempe quinque siclorum, id est, quinque flo- renorum Brabanticorum, qui cedebant Sacerdotibus in sti- pendium.

CÆREMONIÆ.

Quamvis de Cæremoniis offerendorum primogenitorum nihil Scriptura eloquatur, constat tamen Numer. cap. 18. homi- nis primogenitum post mensem à nativitate offerri, & redimi consuevisse. Quamquam communiter matres expectaverint suam purificationem, ut cum ea simul infantes suos primoge- nitos redimerent, & offerrent: uti fecit B. Virgo cum puero Jesu. Luc. cap. 2.

Quoad primogenita pecorum, & jumentorum, constat, ea offerri potuisse post septimum diem à nativitate: ut patet Exod. 22. v. 30. ante octavum enim diem scetus nimis est tener, & quasi immaturus, & imperfectus. Ita S. Thomas. Atque ex iis quodlibet erat redimendum alio, & alio pretio pro uniuscujusque valore, plus enim valebat primogenitus bovis, quam ovis, &c. Vide Levit. c. 22. v. 27. Primogenita verò voveri Deo non poterant, de quo vide Volum.

JUS, ET PRÆROGATIVE PRIMOGENITORUM, ET PRIMOGENITURÆ.

Jus primogeniti in Lege Naturæ quadruplex fuisse, obser- vant Auctores. Primum erat, quod primogenitus erat prin- ceps fratrum, eorumque quasi Pater, & Dominus, adeo ut co- ram eo se fratres inclinarent Genes. c. 17. 32. & 33. succede- bat enim primogenitus in patriam dignitatem. Et hoc est, quod ait Pelusiotus in catena, primogenitos successisse in regnum, & in patriarchalem dignitatem.

Secundum erat, quod in divisione hæreditatis paternæ, sin- guli fratres singulas partes, primogenitus verò duplices acci- piebat: ut patet Deut. 21.

Tertium erat, quod post diluvium primogenitus erat Sa- cerdos familie: unde & in lege Moyfi, Levitæ loco omnium primogenitorum Israelis, fuerunt electi ad sacerdotium. Numer. 3. Rursus primogeniti parentibus in Pontificatu succede- bant. Numer. 20. ita S. Hieron. Rupert. Testat. & Eucherius c. 44. Quare Hebræi, & ex eis Eucherius, sic explicant: Vende mihi primogenitam, id est, vende mihi vellem tuam sacerdotium (ac consequenter ipsum sacerdotium) qua de more indui

Q 4 primogeniti.